

Le texte proposé ici est celui de l'édition publiée à Leipzig, en 1591, chez Michaël Lantzenberger.

GREG. BERSMANI ANNAEBERGENSIS TUMULORUM LIBER I.

VERSUS EPITAPHII SCRIPTI JOHANNI GUILIELMO DUCI SAXONIAE,  
DE MANDATO ILLUSTRIS. ET SUMMI PR. AUGUSTI, ELECT. DUCIS SAXONIAE,  
ET CETERA.

T\_1      v.1      Siste pedem, quamvis properas, et marmore caesa  
            2            hospes lustra oculis haec monumenta tuis.  
            3      Quae Johanni posuit Guiliemo, maxumus armis  
            4            augustus, celebri nec pietate minor.  
            5      Hoc sat : namque ducis Guilielmi nomine dicto,  
            6            si quid aves, fama scire loquente potes.  
            7      Defuit haud illi Germano gloria digna  
            8            principe, parta domi gloria, patre foris.  
            9      Dum sacro probat imperio dextramque fidemque,  
           10            aeternoque simul mentem animumque Deo.  
           11      Defuit his aetas solum non congrua factis,  
           12            namque diem, ante diem funere raptus, obit.

ALIUD

T\_2      v.1      Et tibi dat virtus Dux Jan Guilielme sepulcrum,  
            2            et titulum Pietas, quae tibi culta fuit.  
            3      Hic Princeps laudate jaces : tua continet ossa,  
            4            quae meriti retinet munera terra tui.  
            5      Non tu corpus eras sine pectore : vis tibi mentis  
            6            provida consiliis, nec pigra rebus erat.  
            7      Simplicis et studium probitatis et ardor honesti,

8           justitiaeque tenax cura, timorque Dei :  
9       et gentis decus haud tantis virtutibus impar,  
10       nec major factis gloria, lausque tuis.  
11       Ergo te merito Germania luget ademptum,  
12       cujus praesidium grande superstes eras.

ET RURSUS

T\_3    v.1     Teutoniae decus, et dubiis fiducia rebus,  
2           hic tumulum Princeps Jan Guilielmus habet.  
3       Qui genus illustri ducens a stirpe parentum,  
4           auxit honoratum per sua facta genus :  
5       imperio navans operam quam debuit omnem,  
6           atque Deo tribuens quae tribuenda Deo.  
7       Assertor juris, rigidi servator honesti,  
8           nequitiae vindex impiger, atque doli.  
9       Pacis honos, duris patriae tutamen in armis,  
10       spes Tyringorum, Saxoniaeque nitor.  
11       O vanas hominum curas ! En occidit aevi  
12       in medio, dignus perpete luce frui.

IN TUMULUM PHIL. MELANCHTHONIS.

T\_4    v.1     Qui cumulo implevit meritorum Teutonis oram,  
2           qua patet Arctoi litus ad usque maris,  
3       clauditur hic arcta tumuli sub mole Philippus  
4           artis et ingenii terminat aethra decus.  
5       Non aetas huic prisca parem melioribus annis  
6           extulit, at mundi effoeta senecta ferat ?  
7       Hoc uno meruit tantum Germania laudis,  
8           quantum cum Latio Graecia tota dedit.

EPITAPHIUM JOHANNIS MOLLERI, PATRITII VRATISLAV.  
MAGNAE SPEI ADOLESCENTIS.

T\_5    v.1     Mollere o Parcas molliture, sub isto  
2           corpus habes tumulo, sidera mente colis.  
3       Quod si maturaе complesses fila senectae,  
4           quantus honor juris, Jane, futurus eras !  
5       Occidis, et vix dum vicesimus egerat annus :  
6           stare diu summis invida fata negant.

IN TUMULUM AUGUSTINI GYNCERI COLMARIENSIS.

T\_6    v.1     Scilicet haec tandem longis erroribus actum  
2           Gyncerum stabili sede recepit humus.  
3       Cui mentem pater, eloquium Cyllenius heros,  
4           Aonides dotes contribuere suas.  
5       Sed neque Pierides juveni, nec Atlantide natus,  
6           nec pater instantem depulit ipse necem.  
7       Omnia sic fatum superat, sic omnibus aevi  
8           stat sua, muneribus non redimenda, dies.

## IN TUMULUM MARTHAE JOACHIMI CLARISS. V. F. CAMERARIAE.

T\_7 v.1 Martha puellarum decus, exemplumque pudoris,  
 2 Martha sub hac tumuli mole sepulta jacet.  
 3 Quae Camerariadum generoso sanguine nata,  
 4 ornavit morum nobilitate genus.  
 5 Quod dederat, corpus mater sibi terra recepit,  
 6 spiritus in caelum, venerat unde, redit.

## IN TUMULUM ELISABETHAE UXORIS JOHANNIS PFEFFINGERI D.

T\_8 v.1 Haec Pfeffingerus posuit monumenta maritae,  
 2 orbus parte sui nobiliore tori.  
 3 Quod si morte Deus mortem pensare dedisset,  
 4 alterno mallet funere fata pati.  
 5 Nunc, quia caelicolis potior fuit ista voluntas,  
 6 iret ut hospitium nupta parare viro :  
 7 ipsa quidem terras Christo rapiente reliquit,  
 8 sed virtute sua vivit in ore viri.

## VALENTINO WENDLERO PENICENSI.

T\_9 v.1 Wendleri hic non est tumulus : nec conditur ista  
 2 clausus humo, caelo venerat, astra adiit.  
 3 Sed quod erat terrae corpus, sibi terra recepit,  
 4 terra fuit, terrae debita jura subit.  
 5 Caelum animus repetit, doctrinae conscia, testis  
 6 virtutis, volitat fama per ora virum.

## GREGORIO D. CASPERIS V. CL. F. PEUCERO.

T\_10 v.1 Hoc ego Gregorius Peucerus marmore claudor,  
 2 et patris, et magni nomine carus avi.  
 3 Hoc satis : ingenuum nec de se plura decebat,  
 4 te tamen, o hospes, pluscula scire velim.  
 5 Flos mea vita fuit, brevis est ceu floribus aetas,  
 6 quos pubescentes juncta senecta premit :  
 7 sic modo nascentem vernus quam vidit Eous,  
 8 autumnus cassum lumine, condit humo.  
 9 At bene habet, damnum est nobis reparabile, flori  
 10 vere decus, summo sed mihi vita die.

## TUMULUS D. CASPERIS CURIONIS I. U. D.

T\_11 v.1 Ergo tuam curae carpserunt Curio vitam,  
 2 saecula qui Pylis vivere dignus eras.  
 3 Sudantem Augusta vidit te Christus in aula,  
 4 vidit, et haec pariter commiseratus ait :  
 5 "Quam tibi dura negat Res publica, grata quietem  
 6 mors feret : haec merces summa laboris erit."

## ULRICO GROSIO CONSULI FREIBERGENSI.

T\_12 v.1 Grosius exemplum rara hac aetate senectae,  
 2 cui mensura suis nomen erat meritis :  
 3 supremo jacet hic cinerum sacratus honore,  
 4 colloquio fruitur mens propiore Dei.  
 5 Orba parente suo squallet Friberga dolore,  
 6 consiliis illi non habitura parem.

## TUMULUS MARGARITAE FINCKELTHUSIAE FEMINAE PROBATISSIMAE.

T\_13 v.1 Auratis digna loculis, et marmore dignae,  
 2 hic Margaritae continet ossa lapis.  
 3 Quae sata non humili geminorum stirpe parentum,  
 4 moribus ornavit nomen utrumque suis.  
 5 Obsequio venerata Deum, jucunda marito  
 6 officiis, domini nutibus apta regi.  
 7 Bis quater egregio quem fecit pignore patrem,  
 8 militia in sexus femina gnava sui.  
 9 Ingenio superest natorum, reddita terrae :  
 10 vivit in ore viri, mente recepta polo.

## GEORGIO OSTRACIO RACONENSI MAGNAE SPEI JUVENI.

T\_14 v.1 Si quis et ingenio, simul et florente juvena  
 2 vivere dignus erat, vivere dignus eras,  
 3 Musarum decus, Ostraci juvenilibus annis  
 4 Czechiadumque novo gloria flore virens.  
 5 Nunc cadis, ut tepidis vaccinia marcida ventis,  
 6 ac tecum patriae concidit omnis honor.  
 7 Quid fraudare juvat primae lanuginis annos ?  
 8 In veteres esto mors truculenta senes.

## ANGELAE SIMONIAE LUCENSIS TUMULUS.

T\_15 v.1 Hic uxor sita sum Simonia : cetera norunt  
 2 Ausoniae matres, Allobrogumque nurus.  
 3 Nam vitam mihi Luca dedit, tumulumque Geneva,  
 4 conjugis amplexu sustulit atra lues.  
 5 Et, quae sola duos poterat disjungere amantes,  
 6 vix etiam potuit vis inimica necis.  
 7 Angela nomen erat, mirari parce, Marite,  
 8 si missam caelo, rursus Olympus habet.  
 9 Pignora consortis thalami tibi bina reliqui :  
 10 vivo quibus tecum, reddita caelitibus.

MEMORIAE D. MODESTINI PISTORIS  
 COS. LIPS. ET PRAEF. ORDINARII SCHOLAE JURISPERIT.

T\_16 v.1 Ingenium, virtus, sapientia, gratia, splendor,  
 2 Urbis honos, Aulae gloria, Fama scholae,  
 3 cuncta Modestini lugent Pistoris ad urnam :  
 4 Lipsia sed cunctis tristior, orba gemit.  
 5 Et merito : quoniam juris consultior illo

6           consule nullus erat, nec magis urbis amans.  
7       Non mors hunc rapuit, terras Astraëa perosa,  
8           noluit hunc terris longius esse super.

BARBARAE WOLFIAE MATRONAE HONESTISSIMAE.

T\_17    v.1       Quam non barbaries morum foedaverat ulla,  
          2           Barbara clausa sub hac Wolfia mole jacet.  
          3       Fachsia materno, patrio Pistorias ortu,  
          4           in gemini Consul stirpe parentis erat.  
          5       Sed generis titulos virtus superabat in ipsa,  
          6           inque virum, inque tori pignora fidus amor.  
          7       Grata viri pietas, hanc natae miscuit umbris,  
          8           cujus natalem praecipit atra dies.

CATHERINAE WOLFIAE.

T\_18    v.1       Wolfius haec renovat carae monumenta parenti,  
          2           cui Catherina simul nomen et omen erat.  
          3       Nam sine labe suae traduxit tempora vitae,  
          4           casta lares servans, casta cubile viri.  
          5       Hoc erat ingenium titulis, aequare paternis,  
          6           Rauscheraeque domus non hebetare decus.  
          7       Heu breve vita bonum ! Flos aruit ille pudoris  
          8           ante diem, aeternae dignus honore comae.

GODEFRIDI GROSII PUERI VENNIS TUMULUS.

T\_19    v.1       Pax nomen vivo dederat, qua lumine cassus,  
          2           alme furor mortis munere Christe tuae.  
          3       Pace mihi parta jubeas gaudere parentes,  
          4           quos dolor excruciat funere, Christe, meo.

JACOBO FABRICIO, SCHOLAE HALENSIS GUBERNATORI.

T\_20    v.1       Fabricii condit moles haec ossa Jacobi,  
          2           cui bene Halensis erant tradita sceptrata scholae.  
          3       Simplicitas, candor, placidique modestia vultus,  
          4           ars quod promerita est, huic minuere decus.  
          5       Sic doctum esse minus nunc est, quam posse videri,  
          6           dum specie falli credulus orbis amat.

IN TUMULUM ANNAE PETRAEAE, FEM. OPT.

T\_21    v.1       Undeno felix partu, geminisque hymenaeis,  
          2           Anna sub hoc tumuli marmore clausa jacet.  
          3       Quem maerens statuit Petraeus, amansque maritae,  
          4           et desiderium huic intulit et lacrumas.  
          5       Nunc pudor, et probitas servant pietasque sepulcrum,  
          6           ne sopita Deo suscitetur ossa furor.

## TUMULUS APOLLONIAE NUPTAE III MATRONAE PRIMARIAE IN POMERIANA.

T\_22 v.1 Corpus Apolloniae tumulo servatur in isto :  
 2 in Christo vivens spiritus, astra colit.  
 3 Si genus in pretio est, et habent natalia laudem,  
 4 non humili illa fuit progenerata domo.  
 5 Edita Brunorum sublimi stirpe parentum,  
 6 quos memorat gelido terra rigata Pano.  
 7 Sed quamvis generosa foret sata Consule patre,  
 8 adderet et titulos patruus, alter honos :  
 9 haud contenta tamen praelustri sanguinis ortu,  
 10 aequavit morum nobilitate genus.  
 11 Moribus et par forma suis, respondit in ipsa,  
 12 non animi egregiis forma pudenda bonis.  
 13 Gratior est pulchro nascens in corpore virtus :  
 14 commendat dotes pectoris, oris honor.  
 15 Ter quoque nupta, fuit spes invidiosa procorum,  
 16 sed thalamum unius maluit illa sequi.  
 17 Quem probitate colens rara, studioque fideli,  
 18 exemplum meruit conjugis esse bonae.  
 19 Ergo, quae vitae sunt praemia puriter actae,  
 20 grata viris, foetus non semel illa dedit.  
 21 Ex tribus aucta fuit bis quartum prole maritis,  
 22 quosque viros fecit, fecit et ipsa patres.  
 23 Heu quod nulla diu stant gaudia, nullaque vitae  
 24 pars homini stabili certa tenore manet.  
 25 Et matronalis flos aruit ille juventae !  
 26 Perpetui dignus veris honore frui.  
 27 Et decus eximium lenta mors tabe peredit,  
 28 Cumaeos meruit quod superare dies.  
 29 Qui legis haec, lacrumis hospes consperge sepulcrum,  
 30 ut cineri veniant hinc alimenta pio.

CHRISTOPHERO LEMMERMANO I. V. CANDIDATO.

T\_23 v.1 Christopheri haec Lemmermani monumenta, viator,  
 2 quae cernis, pietas fratris amorque dedit.  
 3 Sed tabulis victura magis, sibi signa paravit,  
 4 pectoris aeternis ingenique bonis.  
 5 Dum sacri voluit numerosa volumina juris,  
 6 et meret in castris, Papiniane, tuis.  
 7 Testis erittantis praesul Nunburgius ausis,  
 8 expertus fidam consiliantis opem.  
 9 Omnia fert genetrix annorum incana vetustas,  
 10 ingenio partum nescit obire decus.

IN TUMULUM PETRI HELBORNII  
 SACRAE THEOLOGIAE DOCTORIS AC PROFESSORIS IN ACADEMIA LIPS. SOCERI S.

T\_24 v.1 Haec tegit Helbornum moles superaddita saxi,  
 2 nomine qui Petrum rettulit, atque fide.  
 3 Assertor Christi constans, verbique professor,  
 4 quod docuit, monstrans rite salutis iter.  
 5 Doctrinaeque decus morum virtutibus auxit,  
 6 ingenio praestans, nec pietate minor.  
 7 Ergo Doctorem schola Lipsidos orba requirit,

8 et tumulo lacrimas datque dabitque suas :  
 9 quem maerentis amor posuit pietasque maritae,  
 10 flebile, sed gratum manibus officium.

IN TUMULUM PAULI LOWASSERI. V. CANDIDATI.

T\_25 v.1 Hac sub mole jacet Paulus, quo tabe perempto  
 2 et spes, et gentis tabuit omne decus.  
 3 Spes Lowasserae gentis, decus hujus et omne :  
 4 cujus adhuc columen grande, superstes erat.  
 5 Hei nihil adverso fas quemquam fidere caelo !  
 6 En cadit, ut marcens menion, ante diem.  
 7 Ac fratrem frater ne deserat, ossibus ossa  
 8 alterius miscens alter, uterque jacent.

IN TUMULUM SIMONAE PISTORIADIS. VIRG. ORNATISS.

T\_26 v.1 Hospes da flores tumulo : flos ecce pudoris  
 2 virginei jacet hac intemeratus humo.  
 3 Nomen aves ? Simona : genus ? Pistorias : anne  
 4 hoc satis est, inquis ? Dicere plura libet.  
 5 Populus ut ripae decus est, nemorique cupressus :  
 6 sic genus ornabat moribus illa probum,  
 7 obsequio jucunda suis, pia, casta, pudica,  
 8 da cineri fletus, atque viator abi.

IN TUMULUM BARBARAE SCHELHAMERAE.

T\_27 v.1 Nupta Schelhamero consulto Barbara juris,  
 2 post Scheveli thalamos Consulis, ecce jacet.  
 3 Quae matris celebrata satu Pistorias, ortus  
 4 praedicat auctorem te, Widemane, sui.  
 5 Ferre negat tumulus titulos gentisque, virumque :  
 6 membra solum, laudis terminat astra decus.

IN TUMULUM CONRADI REGIS,  
 BIBLIOPOLAE LIPSENSIS, AFFINIS SUI, VIRI MULTI OFFICII.

T\_28 v.1 Hospes parce pios manes violare sepulti :  
 2 qui nullum laesit, laedere grande nefas.  
 3 Si nescis, haec sunt Conradi marmora regis,  
 4 spectati meritis, et probitate viri.  
 5 Cui se Pierides tantum debere fatentur,  
 6 quantum Triptolemo debuit alma Ceres.  
 7 Nempe quod illarum merces distraxit, et artes,  
 8 hinc dat ei tumulum Calliope, et titulum.

EPITAPHIUM JOHANNIS UNWERDII I. U. D. AC SCABINI LIPSICI.

T\_29 v.1 Johannes hac Unwerdus sub mole quiescit,  
 2 spes patris, et generis gloria summa sui.  
 3 Quem mons, Anna, tuus genuit, Valentia fecit  
 4 doctorem, leto Chemniciumque dedit.

5 Luceque nunc cassum Lipsensis curia luget,  
 6 quippe patrocinio praesidis orba boni.  
 7 Heu vitae quam summa brevis, quam rara senectus  
 8 ingenio est, cui non fata dedere moram !  
 9 Ter denis vix dum ternos adjecerat annos,  
 10 cum Lachesis juveni stamina rupit atrox.  
 11 Ille tamen meliore sui post funera parte  
 12 vivit : nam virtus morte perire nequit.

MEMORIAE V. REVERENDI IOHANNIS PFEFFINGERI  
 SACRAE THEOLOGIAE DOCTORIS, AC PASTORIS SUPREMI ECCLESIAE LIPSENSIS.

T\_30 v.1 Qui Pfeffingeri similes in imagine vultus  
 2 aspicias, hospes et haec pellege scripta memor.  
 3 Bavariae dedit hunc tellus in luminis oras,  
 4 quem vita functum Lipsia condit humo.  
 5 Dicere longa mora est, per quot discrimina rerum  
 6 hunc exercuerit daemonis ira trucis,  
 7 finibus extorrem patriae, pressumque suorum  
 8 invidia, atque odiis turba profana tuis.  
 9 Dum venale Papae caelum, missamque perosus,  
 10 mavult esse tui portio, Christe, gregis.  
 11 Cui se doctrinae studio, sanctoque labore,  
 12 atque operae cura, consiliique fide,  
 13 addixit moderansque scholas, et templa gubernans,  
 14 haud gravis imperii fulmine, pacis amans.  
 15 Testis erit juveni, vitae sine labe peractae  
 16 Leucoris, et saeculi fama Luthere tui.  
 17 Et tu relligionis apex, divine Melanchton :  
 18 et tu, qui clarum de Cruce nomen habes.  
 19 Postque hos, consilii consors, sociusque laborum,  
 20 tu quoque adhuc nostrae spes, Joachime, scholae.  
 21 Orba sui luget Pastoris Lipsia fatum,  
 22 amissumque gemit Misnidos ora patrem.  
 23 Salve, sancte senex, decus o venerabile morum,  
 24 salve caelestium consociate choris.

MEMORIAE FRIDERICI DUCIS SAXONIAE,  
 ILLUSTRIS. ET POTENTISS. PR. D. & AUGUSTI PRINCIPIS VII VIRI,  
 ET CETERA F. INFANTIS.

T\_31 v.1 Te quoque tranquillae gaudentem nomine Pacis,  
 2 illo Parca die, Dux Friderice, necat :  
 3 quem fasti signant conversi nomine Paulli,  
 4 atque futurorum pectora gnara notant.  
 5 Omen inest letoque tuo, letique diei :  
 6 Christe veta, quod mens augurat, esse ratum.  
 7 Da nos conversos posita resipiscere culpa,  
 8 et Paillum fieri, qui modo Saulus erat.  
 9 Pax urbes, et templa colat : pax optima rerum :  
 10 dispereat, quisquis bella necesque crepat.  
 11 Dispereant, quos spirantes immania facta,  
 12 Christicolarum animas morte necare juvat.  
 13 At vos alta Deo recludite limina portae,  
 14 Regis in adventum pandite tecta fores.



MEMORIAE M. MATTHEI RHESCHUCHII GOTTLEBIENSIS,  
 PASTORIS ECCLESIAE FILII DIE, V. OPT. et DOCTISS.  
 AC LINGUAE EBRAICA PERITISS.

T\_32 v.1 Carmine Rheschuchii tumulum manesque beatos,  
 2 crimen erat, nullum nomen habere meo.  
 3 Quem junxit longae mihi consuetudinis usus,  
 4 cultorem studii participemque mei.  
 5 Quem lugent Musae, quem sanctae Suada loquelae,  
 6 Relligio passis et gemit orba comis,  
 7 ereptum primo viridis sub flore juventae,  
 8 vix numerantem aevi bis tria lustra sui.  
 9 Ille tamen Christo fruitur, semperque fruetur,  
 10 cujus salvifico gramine pavit oves.  
 11 Justitiae pastor, mortis quae nititur uno,  
 12 Christe, tuae merito, munere cassa suo.

ANNAE BERSMANAE MATRI SUAE DILECTISSIMAE.

T\_33 v.1 Rapta prius misero, genitrix, quam cognita nato,  
 2 injecere graves quae tibi fata manus ?  
 3 Alterna si morte animas pensare liceret,  
 4 pensarem hoc pro te sanguinis omne lubens.  
 5 At nunc, saeva licet quod per decreta sororum,  
 6 te veniente die, te fugiente querar.  
 7 Donec ad aetheream caeli septemplex aulam,  
 8 matura fas sit te mihi morte sequi.  
 9 Sed quibus agnoscam indicibus tua nescius ora ?  
 10 Index fidus erit nec male gnarus amor.

IN TUMULUM ILLUSTRIS. ET SUMMI PRINCIPIS DUCIS MAURICII VICTORIS,  
 DUCIS SAXON. PRINCIPIS ELECTORIS, ET CETERA PATRIS PATRIAE.

T\_34 v.1 Septemvir claro de stemmate natus avorum,  
 2 inclutus augusto sanguine Mauricius,  
 3 agmina qui toties Turcarum immania fudit,  
 4 hostibus ex mediis capta tropaea ferens :  
 5 Gallia quique tuis fortissima notus in oris,  
 6 pro patria pugnans fortiter oppetiit.  
 7 In medias dum namque acies acerrimus heros  
 8 irruit, hostili concidit ecce globo.  
 9 Principis ergo tui flebis Germania fatum,  
 10 flebis et ipsa tuum Misnidos ora patrem.

INDICIUM ANNI OBITUS IPSIUS, QUI FUIT M. D. L. III.

T\_35A v.1 Pannonias Victor notus virtute per urbes,  
 2 Mauricius Princeps fortiter occubuit

ALITER.

T\_35B v.1 Mauricius Princeps augusto sanguine clarus,  
 2 letali oppetiit fixus ab hoste globo.

CHRISTOPHORO SCHNELLENBERGIO V.  
PIETATE ERUDITA AC DOCTRINA ELEGANTE, CIVI, AMICO, ET AFFINI S.

T\_36 v.1 Et nardo et violis amoeniorem,  
2 Hymettique liquore dulciorem,  
3 tellus haec gremio fovet poetam,  
4 Schelnbergum, Clariae decus Camenae.  
5 Quem lugent Veneres, Cupidinesque,  
6 et sanctae Charites, sacrique Amores :  
7 quos versu cecinit pio, ac venusto,  
8 cedro digna locutus, et cupresso.  
9 Cur non melle fluat, nemusque florum  
10 tellus, quaeritis, haec sinu refundat,  
11 intus melle scatens, alensque flores ?  
12 Nempe adhuc nimium madet rigata  
13 multa aspergine, et imbre lacrumarum.  
14 Quod si Phoebe tuis recocta flammis  
15 arescet modicum, imbibetque fletus,  
16 quos udae tumulo dedere Musae,  
17 tunc et melle fluet, geretque flores.

CATHERINAE V. CLARISS. D. SIGISMUNDI MEDICI UXORI KOLREUTERAE,  
FEMINA HONESTISS.

T\_37 v.1 Quas Kolreuterus mallet sibi solvere nuptam  
2 Inferias, viduus conjuge matre pater :  
3 has tumulo reddit, supremum maestus honorem,  
4 quem meruit pietas illius atque fides :  
5 in prolem et studium bis quinam, animusque benignus,  
6 ac sibi commissae provida cura domus.  
7 Nunc te terra rogat, quae servas ossa sepultrae,  
8 ne super incumbens huic gravis esse velis.

WOLFGANGO PFENTNERO,  
DOCTORI THEOLOGIAE, ET PASTORI SUPREMO MONTIS D. ANNAE.

T\_38 v.1 Quem luget passis Ecclesia pulla capillis,  
2 quem patriae maerent atra Lycaea meae :  
3 hic tumulum Pfentnerus habet, qui voce professus,  
4 pectore credebat non dubitante Deum.  
5 Istorum haud similis, qui falso invertere verum,  
6 et luci tenebras conciliare student :  
7 doctrinae quos ventus agit, velut Eurus aristas  
8 huc illuc flatu praecipitante rapit.  
9 Ergo quem mundo coram est confessus Iesum,  
10 hunc idem in caelis asserit, ante patrem.

INDICIUM ANNI OBITUS, QUI FUIT ANNO M. D. LVI.

T\_39 v.1 Hoc grata extruxit Pfentnero Ecclesia bustum,  
2 pro cura vigili, pro pietate, suo.

MARGARITAE MEURERAE, MATRONAE HONESTISS.  
D. BOLGANI V. OPTIMI, MEDICIQUE &CELEBR. ET CLARISS. UXORI.

T\_40 v.1 Quae matronarum nitidus fuit unio sexus,  
2 Margaris hac tumuli condita mole jacet.  
3 Quae Blasebalgana referens ab origine nomen,  
4 nupsit honorato digna reperta viro,  
5 Meurero, chorus assurgit cui Paeonis omnis,  
6 quem novies fecit pignore foeta patrem.  
7 Viderat haec oculis Atropos non aequa malignis,  
8 abscidit et dira stamina trunca lue.  
9 Et tamen illa satis vixit famaeque, sibique,  
10 quae caste vixit, vixit et illa diu.

AD SEPULCRUM ANNAE CAMERARIAE  
MAGNI ILLIUS IOACHIMI UXORIS, MATRONAE SANCTISS.

T\_41 v.1 Viator etsi urget te iter, gressum tamen  
2 morare paullum : nam viae dispendium  
3 haud tantulae hic impendio fiet morae.  
4 Vides sepulcrum feminae lectissimae,  
5 bonisque morum laude cognitae omnibus,  
6 in pauperum et gregem beneficentissimae.  
7 Quae procreata gentis e Truchesiae,  
8 de nobili gentis satu Franconicae,  
9 vocata nomine quod relinquit se retro,  
10 est collocata nuptiis Camerario,  
11 quem laudat Eos, quem salutat Hesperus :  
12 qui cum peregit quindecim trieteridas  
13 unamque messem, semper obsequens viro.  
14 Gnatos creavit quinque, gnatas quattuor,  
15 nec has pudendas, nec suo illos sanguini.  
16 Felix nepotum prole, felix liberum,  
17 servavit aedes, remque fecit sedulo.  
18 Nunc obsita annis, atque vitai satur,  
19 quam tradidit, ceu cursor amens lampada,  
20 hoc conditur solo maritum proxime,  
21 cui paratura hospitium antevorterat.  
22 Sed mortuam viator hanc credas cave,  
23 orbi loquentem tot suorum vocibus.  
24 Hoc te volebam scire, nunc abi, vale.

BARBARAE, VIRI MAGNIFICI ET AMPLISS. D. LAURENTII LINDEMANI, I.  
V.DOCTORIS AC PRAESIDIS ORDINARII ACAD. WITEBERG. NEC NON CONSILARII  
PRAECIPUI PR. ELECT. SAXON. D. AUGUSTI,  
ET CETERA UXORI, MATRONAE CLARISS.

T\_42 v.1 Quae jacet hoc tumulo nunc Barbara, nupta marito  
2 qui tiliae claret nomine, quique viri :  
3 occiderit quamvis satur aevi, absolvere culpa  
4 fatorum illa tamen facta severa nequit.  
5 Nam si quae meruit Parcarum vincere conjunx  
6 jura trium, meruit moribus illa suis,  
7 corde Deum venerata pio, complexa maritum  
8 obsequiis, natos sedulitate suos.  
9 Mota erat his Clotho, at Lachesin jam fila morantem

10           Non tulit, iniciens Atropos atra manum.  
 11       Vix aliud tanto jactat se nomine marmor,  
 12           haec Nioben retulit prole, pudore Liam.

                                  ANNAE F. VALENTINI PAPAE,  
 VIRI OPT. ET DOCTISS. M. ERNESTI VOEGELINI UXORI, FEM. HONESTISS.

T\_43     v.1       Quae potuit nuptae persolvere praemia morum  
           2       Ernestus, tristi funeris officio,  
           3       omnia persolvit maerens, majora daturus  
           4       mortis parte suae, ni vetet orba domus.  
           5       Prolis cura domus octonae, matre sepulta  
           6       omnis quae coepit nunc onus esse patris,  
           7       materna vice fungentis, pariterque paterna,  
           8       o ambas jubeas huic Deus esse leves.

\*\*\*\*\*